

PAVLVS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam

Spiritu Divino afflante, cultus, qui Sancto Joseph, Deiparae Sponso, merito tribuitur, recentiore aetate magnis est auctus incrementis idemque praecclarissimus Caelis opificum ordinibus, in quos Ecclesia his ipsis temporibus sollicitas curas intendit, ut fulgens exemplum propositus. Quo pietatis studio teneri perhibentur Christifideles Dioecesis Beiensis; cuius Praesul, Venerabilis Frater Emmanuel Dos Santos Rocha, preces Collegii Canonorum ecclesiae suae cathedralis et universi Cleri, sibi commissi, admittens, eundem Beatae Mariae Virginis Sponsum, Opificis nomine insignem, suae dioecesis caelestem Patronum renuntiavit. Quod ut ratum habere-
mus, idem sacrorum Antistes Nos rogavit. Nos igitur, ejusmodi vota libentissime implentes, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum

Sanctum Joseph Opificem Sponsum Beatae Mariae Virginis

principalem apud Deum totius **Beiensis Dioecesis Patronum** caelestem

confirmamus seu iterum constituimus ac declaramus, omnibus adjectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite judicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Januarii, anno MCM LXVII, Pontificatus     Nostri     quarto.



M. J. Card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis